Morbio 29 (2)

Alexander episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis Inquisitoribus heretice pravitatis in Lombardia et Marchia Januen. salutem et apostolicam benedictionem. Precelsi dispositione iudicis in apostolatus specula constituti cunctorum vitam et statum sedula debemus attentione prospicere ac acta et me-
rita singulorum vigilanter agnoscere et discutere diligenter ut sint oculi nostri aperti et aures intente circa commissam nobis custodiam domus dei quatinus quecumque in illa operta et tecta [...] prava et iusta et iniqua clarius advertentes et purgemus in ea noxia et salu-
taria preservemus. Huius autem vigilantie nostre aciem ad magnates et nobiles populorumque rectores convertere attentius nos oportet quia quanto eminentiori potentia et honore supersunt tanto si male agunt exempla de se aliis proferunt graviora. Quare de nimia
redargui negligentia non indigne possemus si cum universorum cura nobis immineat [et] in corripiendis excessibus tam sublimium quam humilium nostrum debeat vigere iudicium [cir]ca potentes personas apostolicum in hiis intermitteremus officium et debitum aliquatenus
postponeremus examen, erga quas sollicitudinis nostre instantia studiosior debet et fo[r]tior inveniri. Sane quia de Huberto dicto Marchione Pelavicino gravia nimis et intollerabilia que fidelium corda concutiunt et perturbant scandalum in ecclesia commovent
et tremendum ecclesiastice censure vigorem debilitant nostris sunt auribus intimata [fa]ma clamante publica et gravium ac proborum frequenti notificante relatu. Nos nolentes per torporem vel desidiam que detestabilior et notabilior foret in nobis suf-
ferre vel dissimulare iniquitates ipsius et perniciose illicitis eius ausibus indulgere [pre]sumimus iam pravis eius operibus et pestiferis actibus illo auctore qui est deus ultionum et dominus oportunis apostolice providentie remediis obviare. Cum igitur idem
Hubertus iam per longi temporis spatium pluribus et diversis excommunicationum [et] sententiis irretitus clavibus ecclesie vilipensis huiusmodi excommunicationes sibens ut aquas ad gremium sancte matris ecclesie redire contumaciter et pertinaciter contempserit et
contempnat fueritque iam ab olim et sit ipsius ecclesie persecutor assistendo publi[ce contra] eandem ecclesiam quondam Frederico olim Romanorum Imperatori et Conrado nato ipsius persecutoribus eidem ecclesie manifestis et ad presens faveat adhereatque adver-
sus prefatam ecclesiam Manfredo quondam principi Tarentino qui eisdem Fre[derico et C]onrado in huiusmodi persecutione succedens eandem ecclesiam vexat multipliciter et molestat cum etiam dictus Hubertus in pluribus Civitatibus Castris et locis Lombardie ecclesias
et loca ecclesiastica quampluribus bonis suis mobilibus et immobilibus spoliasse ac eis graves imposuisse tallias et collectas et impositas violenter ab ipsis extorsisse ac sub diversitate tormentorum multas personas ecclesiasticas diversis afflixisse tor-
mentis et etiam peremisse dicatur et intellexerimus quod in nonnullis ex predictis Civitatibus Castris et locis ecclesiastico interdicto suppositis in derogationem ecclesiastice auctoritatis vel censure que firmamentum est catholice fidei atque robur et
in ipsius detractionem ac debilitationem fidei mandat et facit celebrari divina ad ea celebranda Civitatum Castrorum et locorum ipsorum clericos cohercendo quodque in pluribus terris Lombardie sibi adherentibus seu faventibus publice manutenet hereticos
errores et hereses in populis seminantes et ad ipsum heretici tamquam ad defensorem et receptatorem eorum de aliis Lombardie terris et etiam de partibus Tholosanis atque Provincie confugiunt et in eo inveniunt refugium singulare habetque ac
retinet in sua familia quendam nomine Berengarium qui fuit de heresi sententialiter condempnatus ipsum sue potentie brachio protegens dampnabiliter et defendens nec permisit neque permittit inquisitores heretice pravitatis a sede
apostolica deputatos in terris in quibus plenum habet dominium iniunctum eis inquisitionis officium exercere. Nos attendentes quod hec scrupulo et suspicione non [ca]ret heretice pravitatis ac non valentes deinceps tam detestabilia
tamque perniciosa ipsius Huberti opera sub dissimulatione transire presertim cum errantes per invia precipitii ad salutarem reducere semitam teneamur [di]gne providimus ipsum ad nostram citare seu evocare presentiam ut cum
intendamus super hiis per viam inquisitionis et alias prout suadebit iustitia procedere contra eum suam si potest super hiis ostendat et purget innocentiam n[ostri]sque pareat beneplacitis et mandatis. Verumquia dictus Hubertus nec sine [...]
tio facile citari potest nec litteris cum propter eius timorem vix quisquam inveniri valeat qui suam ad hec temptet adire presentiam nec nos debeamus nec velimus etiam quempiam propter hec periculis exponere sive nomi-
alium convenientem citandi eum modum invenimus illam preeligentes et assumentes formam per quam citationis edictum sufficiens et efficax in hoc negotio proponatur videlicet ut vos apud Mediolanen. Januen. Papien. Placentin. Par-
men. Mantuan. Pergamen. et Lauden. Civitates tam per vos quam per pontifices Civitatum ipsarum aliasque personas idoneas quibus id duxeritis committendum multitudine populi congregata publice ac sollempniter populo ipso
astante ac audiente citetis eundem ita quod ipse Hubertus nullam possit excusationem pretendere quod ad eum talis citatio non pervenerit vel quod ignoraverit eandem cum non sit verisimile id quod tam patenter revelabitur omnibus remanere
apud ipsum incognitum vel occultum. Ideoque discretioni vestre de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatinus in predictis octo Civitatibus vel ipsarum aliquibus si videritis
quod in omnibus ipsis Civitatibus id non possit commode fieri presente fidelium multitudine copiosa tam per vos quam per pontifices Civitatum ipsarum et alios viros ydoneos quos ad hoc elegeritis memoratum Hubertum publice
ac sollempniter eisdem fidelibus presentibus et audientibus citare curetis. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, ut infra duorum mensium spatium post citationem huiusmodi personaliter compareat coram nobis
suam super premissis si potest innocentiam ostensurus nostrisque precise mandatis et beneplacitis pariturus, et facturus in hiis quod exegerit ordo iuris. Prenuntiantes et comminantes eidem quod si infra huiusmodi terminum compare-
re contempserit coram nobis nos nichilominus contra eum tamquam contra hominem de heretica pravitate suspectum tam per viam inquisitionis quam etiam alias prout suadebit iustitia constanter auctore domino procedemus. Ipsius non
obstante absentia sicut viderimus expedire. Ne vero alicui suspicionis pretendi possit occasio plenam ei et hiis quos secum duxerit securitatem tribuimus. Universis districtius inhibentes ne ipsos in personis vel rebus turbare
vel offendere seu quomodolibet impedire presumant. Parati de hoc oportunas litteras exhibere ac providere sufficienter quod per terram et districtum ecclesie [ad] nos accedere tute possint. Et ut huiusmodi preceptum nostrum efficatius
adimplere possitis compellendi auctoritate nostra tam predictos Episcopos quam alias quascumque personas ad citationem huiusmodi faciendam. Non obstante quolibet privilegio seu indulgentia sedis apostolice liberam vobis concedimus
auctoritate presentium facultatem. Volumus autem ut de citatione huiusmodi confici faciatis publica instrumenta illa nobis fideliter transmissuri. Quod si non omnes hiis interfueritis exequendis unus vel duo aut tres vestrum illa
efficaciter exequantur. Dat. Laterani v. Kl. Decembr. Pontificatus nostri Anno Sexto.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1871925649-19/fragment/page=0001

Morbio 29 (2)

[illegible] marchio

2/ 1259 9. Dec. Alexander IV Papa

·DO· Hubertus Pelavicino

Morbio 29 (2)

29,2

Morbio 29(2)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1871925649-19/fragment/page=0002

Morbio 29 (2)

Alexander episcopus servus servorum dei. Dilectis filiis Inquisitoribus heretice pravitatis in Lombardia et Marchia Ianuensi salutem et apostolicam benedictionem. Precelsi dispositione iudicis in apostolatus specula constituti cunctorum vitam et statum sedula debemus attentione prospicere ac acta et merita singulorum vigilanter agnoscere et discutere diligenter ut sint oculi nostri aperti et aures intente circa commissam nobis custodiam domus dei quatinus quecumque in illa operta et recta, prava et iusta et iniqua clarius advertentes et purgemus in ea noxia et salutaria preservemus. Huc autem vigilantie nostre aciem ad magnates et nobiles populorumque rectores convertere attentius nos oportet quia quanto eminenti potentia et honore supersunt tanto si male agunt exempla de se aliis proferunt graviora. Quare de nimia redargui negligentia non indigne possemus si cum universorum cura nobis immineat et in corripiendis excessibus tam sublimium quam humilium nostrum debeat vigere iudicium circa potentes personas apostolicum in hiis intermitteremus officium et debitum aliquatenus postponeremus examen. Circa quas sollicitudinis nostre instantia studiosior debet et ferventior inveniri. Sane quia de Huberto dicto Marchione Pelavicino gravia nimis et intollerabilia que fidelium corda concutiunt et perturbant scandalum in ecclesia commovent et tremendum ecclesiastice censure vigorem debilitant nostris sunt auribus intimata fama clamante publica et gravium ac proborum frequenti notificante relatu. Nos nolentes per torporem vel desidiam que detestabilior et notabilior foret in nobis sufferre vel dissimulare iniquitates ipsius et perniciose illicitis ei ausibus indulgere presumimus iam pravis eius operibus et pestiferis actibus illo auctore qui est deus ultionum et dominus oportunis apostolice providentie remediis obviare. Cum igitur idem Hubertus iam per longi temporis spatium pluribus et diversis excommunicationum sententiis irretitus clavibus ecclesie vilipensis huiusmodi excommunicationes bibens ut aquas ad gremium sancte matris ecclesie redire contumaciter et pertinaciter contempserit et contempnat, fueritque iam ab olim et sit ipsius ecclesie persecutor assistendo publice contra eandem ecclesiam quondam Frederico olim Romanorum Imperatori et Conrado nato ipsius persecutoribus eidem ecclesie manifestis et ad presens faveat adhereatque adversus prefatam ecclesiam Manfredo quondam principi Tarentino qui eisdem Frederico et Conrado in huiusmodi persecutione succedens dictam ecclesiam impugnat multipliciter et molestat. Cum etiam dictus Hubertus in pluribus civitatibus castris et locis Lombardie ecclesias et loca ecclesiastica quampluribus bonis suis mobilibus et immobilibus spoliasse ac eis graves imposuisse tallias et collectas et impositas violenter ab ipsis extorsisse ac sub diversitate temporum multas personas ecclesiasticas diversis afflixisse tormentis et etiam peremisse dicatur et intellexerimus quod in nonnullis ex predictis civitatibus castris et locis ecclesiastico interdicto suppositis in derogationem ecclesiastice auctoritatis vel censure que firmamentum est catholice fidei atque robur et in ipsius detractionem ac debilitationem fidei mandat et facit celebrari divina ad ea celebranda civitatum castrorum et locorum ipsorum clericos cohercendo quodque in pluribus terris Lombardie sibi adherentibus seu faventibus publice manutenet hereticos errores et hereses in populis seminantes et ad ipsum heretici tamquam ad defensorem et receptatorem eorum de aliis Lombardie terris et etiam de partibus Tholosanis atque Provincie confugiunt et in eo inveniunt refugium singulare habetque ac retinet in sua familia quendam nomine Berengarium qui fuit de heresi sententialiter condempnatus ipsum sue potentie brachio protegens dampnabiliter et defendens nec permisit neque permittit inquisitores heretice pravitatis a sede apostolica deputatos in terris in quibus plenum habet dominium iniunctum eis inquisitionis officium exercere. Nos attendentes quod hec scrupulo et suspitione non carent heretice pravitatis ac non valentes de cetero tam detestabilia tamque perniciosa ipsius Huberti opera sub dissimulatione transire presertim cum errantes per invia precipitii ad salutarem reducere semitam teneamur, digne providimus ipsum ad nostram citare seu evocare presentiam ut cum intendamus super hiis per viam inquisitionis et alias prout suadebit iustitia procedere contra eum suam si potest super hiis ostendat et purget innocentiam nostrisque pareat beneplacitis et mandatis. Verumquia dictus Hubertus nec tuto facile citari potest nec litteris cum propter eius tirannidem vix quisquam inveniri valeat qui suam ad hoc temptet adire presentiam nec nos debeamus nec velimus etiam quempiam propter hoc periculis exponere sive morti alium convenientem citandi eum modum invenimus illam preeligentes et assumentes formam per quam citationis edictum sufficiens et efficax in hoc negotio proponatur videlicet ut vos apud Mediolanensem Ianuensem Papiensem Placentinam Parmensem Mantuanam Pergamensem et Laudensem civitates tam per vos quam per pontifices civitatum ipsarum aliasque personas idoneas quibus id duxeritis committendum multitudine populi congregata publice ac sollempniter populo ipso astante ac audiente citetis eundem ita quod ipse Hubertus nullam possit excusationem pretendere quod ad eum talis citatio non pervenerit vel quod ignoraverit eandem cum non sit verisimile id quod tam patenter revelabitur omnibus remanere apud ipsum incognitum vel occultum. Ideoque discretioni vestre de fratrum nostrorum consilio per apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatinus in predictis octo civitatibus vel ipsarum aliquibus si videritis quod in omnibus ipsis civitatibus id non possit commode fieri presente fidelium multitudine copiosa tam per vos quam per pontifices civitatum ipsarum et alios viros ydoneos quos ad hoc elegeritis memoratum Hubertum publice ac sollempniter eisdem fidelibus presentibus et audientibus citare curetis. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. ut infra duorum mensium spatium post citationem huiusmodi personaliter compareat coram nobis suam super premissis si potest innocentiam ostensurus nostrisque precise mandatis et beneplacitis pariturus et facturus in hiis quod exegerit ordo iuris. Prenuntiantes et comminantes eidem quod si infra huiusmodi terminum comparere contempserit coram nobis nos nichilominus contra eum tamquam contra hominem de heretica pravitate suspectum tam per viam inquisitionis quam etiam alias prout suadebit iustitia constanter auctore domino procedemus. Ipsius non obstante absentia sicut viderimus expedire. Ne vero alicui suspitionis pretendi possit occasio plenam ei et hiis quos secum duxerit securitatem tribuimus. Universis districtius inhibentes ne ipsos in personis vel rebus turbare vel offendere seu quomodolibet impedire presumant. Parati de hoc oportunas litteras exhibere ac providere sufficienter quod per terram et districtum ecclesie ad nos accedere tute possint. Et ut huiusmodi preceptum nostrum efficatius adimplere possitis compellendi auctoritate nostra tam predictos episcopos quam alias quascumque personas ad citationem huiusmodi faciendam. Non obstante quolibet privilegio seu indulgentia sedis apostolice liberam vobis concedimus auctoritate presentium facultatem. Volumus autem ut de citatione huiusmodi confici faciatis publica instrumenta illa nobis fideliter transmissuri. Quod si non omnes hiis interfueritis exequendis unus vel duo aut tres vestrum illa efficaciter exequantur. Dat. Laterani [illegible] Kal. Decembris Pontificatus nostri Anno Sexto.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1871925649-19/fragment/page=0003
DFG